



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Requisita substantialia ad privilegium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

5. Dicitur tertio: *speciale beneficium concedens*, nam de ratione privilegii est, ut ejus materia sit favorabilis, utque per illud concedatur facultas aliquid agendi, vel non agendi, recipiendi, vel non recipiendi, quæ de jure communi non competebar.
6. Ex his deduces primò. Privilegium differre à gratia & beneficio Principis, tanquam speciem à genere, & inclusum ab includente: nam omne quidem privilegium est favor, gratia, beneficium Principis; at non omnis gratia est privilegium; uti patet in collatione alicujus beneficii Ecclesiastici, abfolutione à censura, dispensatione, &c.
7. Deduces secundò. Privilegium differre à dispensatione & rescripto; ab illa, quòd ista semper sit contra legem, legis vulnus, & relaxatio, neque sit naturâ sua stabilis & permanens; At privilegium possit etiam esse præter legem, & suapte naturâ stabilitatem amet & permanentiam, esto non semper sit perpetuum. A rescripto differre, partim quia rescriptum etiam continet gratias & beneficia Principis, quæ non sunt privilegium; partim quia rescriptum semper datur in scripto; eùm privilegium dari possit etiam viva vocis oraculo.
8. Deduces tertio. Leges pœnales, quibus cavetur inimunitati quarundam personarum, non esse privilegia: quia directè non favoris concessionem, sed onerosam aliquorum obligationem concernunt.
9. Deduces quartò. Favores certo personarum generi in jure communi concessos, non ideo amittere naturam privilegii; eùm nihilominus contineant specialem gratiam aliis eodem jure communi non concessam.
10. Deduces quintò. Novam concessionem alicujus gratiæ jam antea à jure communi concessæ, eatenus dici posse privilegium, novumque favorem tribuere, in quantum suppositâ tali concessionem tenentur Superiores privilegiatum speciali assistentiâ in usu sui privilegii defendere, & per simplicem revocationem juris communis ejusmodi gratia concessa revocata non censetur, nisi fiat specialis ipsius mentio, ut habent Suarez, Salas, Haunoldus, Petschacher, &c.
11. Deduces sextò. Privilegium potissimum duplicem operari effectum: unum directum respectu privilegiati, nempe jus utendi suo privilegio; alium indirectum respectu aliorum, qui est obligatio ejusmodi privilegio non obfistendi.

§ II.

Requisita substantiæ ad privilegium.

Datum fuit in priori §. ad valorem privilegii ex parte formæ requiri voluntatem privilegiantis, seu habentis potestatem conferendi privilegium; ex parte verò materiæ, ut res concessa sit materia honesta, Juri Divino & naturali non repugnans, sitque favorabilis privilegiato. Ulterius

Quæres primò. An ad valorem privilegii requiratur, ut sit suo modo publicatum, seu innotatum, & acceptatum à privilegiato?

12. Respondeo. Ut Privilegium tribuat privilegiato jus exercendi actus per privilegium concessum.

R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

fos, oportet, ut sit ipsi notificatum, & acceptatum. Ita videtur supponi in c. 1. de concess. præbend. & habet Glossa in c. quia cunctis. Suarez lib. 2. c. 25. n. 15. Sanch. l. 1. de matr. disp. 6. n. 10. Reding q. 18. a. 2. contr. 1. n. 2.

Ratio est primò: quia privilegium est quædam liberalis donatio; sed ista non habet effectum, priusquam sit notificata & acceptata à donatario; ergo nec illa. Unde secundò: Libertas non acquiritur per rescriptum manumissionis, donec servus sciat & acceptet. l. qui absenti. ff. de acquir. possess. Neque tertio legitimitas per audent. quibus modis naturales &c. §. illud tamen. Et quartò, quamdiu quis ignorat, se habere jurisdictionem, non tenet actus; neque enim actus jurisdictionis conceditur ignoranti: l. hæc autem. §. non defendi. ff. ex quibus causis in possess.

Quæres secundò. An etiam privilegium debeat esse aliis publicatum, qui obligantur, ne privilegio contraveniant?

Respondeo. Ut privilegium pariat secundarium & indirectum effectum obligandi alios in conscientia, ne privilegii usum impediatur, sufficit, ut tantam habeant illius privilegii notitiam, quanta requiritur ad moralem ejus certitudinem, vel fidem prudenter habendam; hoc ipso quippe jus naturale incipit obligare, ne privilegiatus in jure quæsto impediatur. Ut verò etiam obliget in foro externo, requiritur illius manifestatio per ostensionem instrumenti, vel testes legitimos, qui de concessione privilegii, aut publico ipsius usu fidem faciant. Suar. cit. c. 24. n. 10.

Quæres tertio. An aliquando ad valorem privilegii justa & rationabilis causa requiratur?

Respondeo. Esti juxta prius dicta defectus justæ & rationabilis causæ privilegii concessionem non reddat invalidam, sed duntaxat illicitam; eùm nempe materia privilegii penitus subest jurisdictioni concedentis, si tamen privilegium datur in bonis, quæ non omnimodè, sed tantum secundum rationabilem dispensationem Principi subijciuntur, ad ejus valorem etiam rationabilem causam requiri, uti contingit in concessione Indulgentiarum ex meritis Christi & Sanctorum, in quibus summus Pontifex disponit Christi nomine, quæ proinde si fieret sine justa & rationabili causa [quod tamen difficulter præsumi potest] Christus illam ratam non haberet. Reding. cit. n. 10.

Quæres quartò. An ad valorem privilegii contra jus requiratur clausulâ expressè derogans Juri communi?

Respondeo negativè; si privilegium non possit habere effectum, nisi derogando juri communi, & nisi jus commune sit qualificatum per clausulam resistentem privilegio, nempe non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium.

Ratio primæ partis est: quia Princeps non præsumitur ignorare jus commune, c. 1. de constitut. in 6., aut velle concessionem inutilem facere. Ideoque dans privilegium, in actu exercitio juri communi derogat; & constat ex c. in his, de privilegiis. ubi rejicitur quædam interpretatio privilegii, per quam illud inutile reddebatur.

Ratio 2. partis est: quia si nudò privilegio derogaretur juri communi qualificato per clausulam

lam resistentem privilegio, illa clausula foret inanis & nullius roboris, adeoque ut privilegium juri communi praevaleret, necesse erit adjungi clausulam derogatoriam: *Non obstante quacunque lege in contrarium*, uti tradunt Suarez c. 14. n. 16. Palao n. 10. aliique.

17. Quam tamen doctrinam non improbabiler limitari posse ad privilegia legem clausulatam tantum antecedentia, quippe quae per talem clausulam revocata censentur, non autem ad consequentia, quippe quae nullum alias effectum producerent, tenent Salmantic. cit. n. 9.

18. Quæres quintò. An ad valorem privilegii contra consuetudinem, vel legem particularem requiratur clausula derogans: *Non obstante quacunque consuetudine, vel statuto in contrarium?*

Respondeo affirmativè. Quia Princeps non præsumitur leges particulares aut consuetudines scire. per c. 1. de conscri. in 6. unde requiritur expressa clausula significans voluntatem derogandi etiam consuetudini, vel statuto particulari. Ita Authores citati.

19. Quæres sextò. An aliquando scriptura sit necessaria ad valorem privilegii.

Respondeo. Etsi juxta superius dicta regulariter non sit necessaria scriptura ad valorem privilegii, siquidem iste dependet à voluntate

concedentis, quæ non minus viva voce, quam scripto potest innoscere; tamen ad quoddam gratias (potius quam privilegia) per specialem exceptionem scripturam esse necessariam, prout est facultas non residendi in beneficiis curam animarum habentibus; & facultas ingrediendi intra septa Monasterii Monialium: per Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 1. & c. 5. Palao p. 4. §. 1. ubi plura refert exempla ejusmodi gratiarum.

Dices. Ante expeditionem litterarum gratia censetur informis, ut colligitur ex Reg. Cancell. 25.: ergo, ut sit perfectum & consummatum privilegium, requirit scripturam.

Respondeo. Gratiam à Summo Pontifice concessam dici informem in ordine ad iudicium & forum externum, ubi deest ipsi perfectio sufficiens ad ferendum iudicium; non autem in ordine ad forum internum conscientia, ubi gratia viva voce concessa jam est perfecta & formata, ut jus impetranti acquirat. ex c. si probè de rescriptis 6. c. fin. de concess. præbend. in 6. Palao loco cit. n. 1. qui etiam observat, gratias ab aliis Principibus concessas non tantum in foro conscientia, sed etiam externo suffragari, si per testes sufficienter probentur, cum nullo jure cautum sit oppositum, uti tenet Mascardus de probat. conclus. 845. n. 11.

ARTICULUS II. Quotuplex sit privilegium?

SUMMARI A.

1. Exponitur divisio privilegii in reale, & personale.
2. Res, cui privilegium annectitur, alia corporea, alia incorporea.
3. Exempla privilegiorum realium.
4. Pleraque privilegia Regularium sunt realia.
5. In dubio unde discernendum, sine privilegium reale, vel personale?
6. Privilegium cause concessum in dubio habendum est pro reali.
7. Divisio privilegii in contra, vel ultra jus.
8. In gratiosum, & remuneratorium.
9. In perpetuum & temporale.
10. In affirmativum, & negativum.
11. In commune & singulare.
12. In favorabile & odiosum.
13. In scriptum, & non scriptum.
14. In privilegium pro foro conscientia tantum, & pro foro externo.
15. Licet aliquando privilegio dato pro foro penitentiali uti extra Sacramentum tenet Penitentia.
16. Quid sit privilegium ad instar?
17. Exponitur clausula *Mans proprii*.
18. Quando nam tollat vitium subreptionis?
19. Quid sit & operetur clausula ex certa scientia, & de plenitudine potestatis?
20. Exponitur clausula: *quatenus SS. Canonibus & Decretis, &c.*

§. I.

Divisio privilegii in reale & personale.

1. **M**ultæ sunt privilegiorum divisiones & species, quarum potiores hoc articulo exponi-

mus: & in primis divisionem privilegii in reale, & personale. ex c. privilegia. ff. de Regul. Juris. & c. mandata. de præsumpt. Nam licet omne privilegium personam respiciat, quippe quæ sola est ipsius capax: aliud tamen conferitur personæ ratione & intuitu ipsius individua personæ; aliud verò intuitu rei, quæ personæ annectitur, puta, loci, officii, dignitatis, alteriusve qualitatibus, &c. prius dicitur personale, posterius reale. Personale sequitur personam, & cum ea expirat. c. privilegium de R. I. in 6. Reale sequitur rem, & transit ad omnes, in quibus res invenitur. l. Imperatores. ff. de publicanis.

Porro res, cui privilegium annectitur, alia est corporea, ut Ecclesia, Monasterium, &c. Alia incorporea, ut Episcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachus, &c. Unde omne privilegium alicui communitati concessum est reale, & perpetuum. Reale, quia tametsi singula communitatis membra, & individua illius personæ privilegio gaudeant; ideo tamen gaudent, non quia sunt singulares personæ, sed quia sunt eadem qualitate totius communitatis; Perpetuum est; quia communitas & certum genus hominum in communi durat perpetuo, & fictione juris habetur quasi pro persona perpetua. l. proponatur 76. ff. de iudiciis. Suarez l. 8. c. 3. Pal. p. 2. §. 1.

Unde colliges primò, privilegium concessum filiisfamilias, ne mutuo; feminis, ne fideiussione obligentur; privilegium militum in faciendis testamentis sine solemnitatibus; restitutionis in integrum concessum minorennibus Reipubl. causâ absentibus, esse privilegia realia, quia concessa